

(14)

153

# ORATIO HABITA IN FUNERE ALEXANDRI VIII.

*Pontificis Optimi Maximi*

A' P. THOMA STROZA  
E SOCIETATE JESV

Neapolitano.



NEAP. Ex Nova Officina Sociorum  
Dom. Ant. Parrino, & Michaelis Aloysii Mutij 1691.  
*Superiorum Permissu.*

2344



 Uonam Christianæ Reipublicæ fato fieri dicam, AA. ut, exigente jam annum summi capitii veluti censum Morte, ad Maximi Pontificis inferias, exacto vix pridem anno, revolvātur. Quæ mihi īdicta lex, ut, si qua est in me Eloqueatia, illam cœlamentantem, & addictam funeri praeficam, ad luctus adhibeam; atque atratus Orator, ad lacrymarum clepsydram perorare iterum cogar. Hæret memori adhuc animo emotualis pompa, qua saceris Innocentij Undecimi manibus, hoc eodem in templo, parentavimus; nec satis obortas oculis lacrymas e tanti Principis jactura deterximus, cum ad ALEXANDRI OCTAVI Pontificis Optimi Maximi sepulcralem Urnam novo, tristique iustitio revocamur.

Est quod vicem tuam, Magna Parenz Ecclesia, doleā. Vix festa lētitiaz insignia novo aucta Principe, Sponsoq; indueras, cum ostendo potius, quam dato felicitatis auspice viduata, quæ paulò ante abieceras orbitatis tuae syrmata rursim atripere, reque lugubri involutam amictu ad lacrymas abijcere cogeris: O miseram Humanitatis Nostræ conditionem! Cui brevis, ac suspecta semper felicitas penè auctoramentum calamitatis est: Quam

A 2

vel

vel ipsa torquent fortunæ munera : anxietate dum pendunt: timore dum servantur: fletu dum citissimè raptu, vel fortunæ ipsi, vel tempori in spolium cedunt.

Et sanè si magni Principis, communisque Parentis publico semper luctu deploranda jactura est; quo hæc prosequenda doloris sensu, cum tam incommodo Catholice Republicæ tempore acciderit! Apperente vere jam propè recusa bellorum fulmina, non Regnis tantum, sed Christi in terris Imperio, ceù malè ominoso tonitru minantur. Fractus scilicet, accisusque superioribus annis Christianorum hostis Turca, revocato ex Albæ Grecæ expugnatione spiritu, intumescere iterum cœpit, & neglecta, quam paulo ante deprecabatur, pace; ereptam modò è fauibus Ungariam inhiante spe devorat; ut defixa Budæ, Strigonij, Albæ Regalis victoria Crucis vexilla deturbet, & reparatæ jam Lunæ substernat. Christiani Principes, populique tota penè Europa exciti, jam signa explicant, jam tympanis, tubisque ad prælia, cædesque infernos evocant animos; adeo ut aucta Christianorum sanguine flumina, infecta latè maria, undantes campi funesta lese imagine obijciant. Imminent demum Italæ cervicibus arma, quæ, cęco acta impetu, neque Sacris, neque delubris parcant, & jura legesque Pietati, Libertatique metuendas dicant.

Cum tam gravis igitur bellorum turbo nulla fæderum spe propriùs instet, ac jam penè auribus obstrepat; cum tantus undique Christi Sponsæ affletur timor è pendentibus adhuc fatis, quæ non mole tantum animos, sed minis obterunt suis: quantum est, ut Alexandro Octavo orbemur! Eo nimirum Principe, qui summa prudentia, acri consilio, & comparata diuturno terum usu agendi dexteritate, Christianos Principes, vel in pacem, vel in fædus cogere: qui inflexa sacerdotalis animi firmitate

Ec-

Ecclesiæ majestatem, ac jura tueri, qui Petri Cathedrā, in quam demū omnes impiorum conatus ruunt, pontificia auctoritate, invicè sustinere nitebatur.

Firma nobis, ac certa spes est, ejus scilicet nixa verbo, cui orbis incumbit, fore ut Inferi portæ ad æternæ hujus arcis propugnacula impetu suo allisæ demum conterantur; at quām molestum est concuti? quām anxium timere? Aderit brevi alter Alexandro suspectus, isque optimus, ut sperare fas est, Princeps; at quām incerta, quām fluctuantia, quām sollicita novi Principatus initia? quām arduum vel peritissimo Navarcho relictum intumescente jam mari clavum arripere, ingruenti procellæ obsistere, & jactatam fluctibus navem rectum in cursum flectere?

Hæc sunt AA. quæ conceptum è tam importuno funere dolorem exaggerant; quæ amissi capitis desiderium augent. Is enim erat Alexander, quo præfide adversos casus minùs formidare, solicitamque mentem fiducia sustinere possemus. Quemadmodum vectores, licet adversis undis, ventisqne navigent, si peritum, vigilemque magistrum clavo insistentem viderint, in ipso vitæ, fortunarumque discrimine animos erigunt; dum è Rectoris peritia vel in ipsa procellæ umbra spes salutis intermitat.

Quæ ut ita esse liquidd constet, enitendum est mihi, ut, quoad potero, quantus fuerit Alexander ostendam, expressamque tanti viri imaginem non in argumentum modò proferam, sed ut doloris ingenio paream. Hic enim amissi Principis vultum è mortis spoliario quodammodo raptum, sibi in tabula spirantem redi, ceu redivivum jubet. At quantulum est, ut hominem à morte vindices, ut hominem prodas, extimæ tantum cuticulæ speciem ob oculos ponere? Ipse Principis nostri mentē, animumque suis coloribus, non alieno adumbratum fuso obij-

objiccam. Quod si perfecero, non ejus umbram, sed ipsum quodammodo morti raptum, vestram omnium menti contemplandum proponam. Ut pateat Petrum Ottobonum non modo cognominis sui auspicio BONUM, sed & MAGNUM fuisse, ut illum jure merito in ALEXANDRUM OPTIMUM MAXIMUM Vaticana inauguratio evexerit.

Virum, qui vera, nativaque hominis magnitudine afferat, ac suum supra saeculum caput efferat, posteris velut è longinquo, fama indice, spectandum, hunc, inquam, Virum collato simul opere effingant oportet Natura, Virtus, ac Fortuna. Harum si qua operi desit, vel totam haud exersat manum, illum brevi exuperans temporis altitudo obruet, ut vix seculo emineat suo. Et Natura quidem, quæ prima manum admoveat, excelsam animi indolem aptat, atque substernit. Illam Virtus operoso, diuturnoque conatu numeris omnibus exprimit. Fortuna, demum imposita veluti coronide absolvit, atque evehit. Ita sit, ut quemadmodum Olympi vertex intra se imbrum, ventorumque assultus, atque impetus despicit, haud aliter ille temporum sub se vices, atque injurias habeat.

Age quanto triplex hæc hominum artifex opere, ac studio Petrum primò, postmodum vero Alexandrum elaborarint videamus. Natura diu illum meditata, pluribus ante saeculis, generosam edidit stirpem, ex qua bonum, magnumque educeret: Ottobonam nimirum Gentem. Hujus ego si parta belli, domique decora omnia exequar, domesticis laudibus Alexandro penè injuriis sim; ut qui illum alienis ornare videar, ac si non affluat suis, quibus majores vel auget, vel obruit: quemadmodum, si emendicatum è prævijs siderum facibus splendorem Soli affundere studeam, qui omnes sua vel comit, vel obtegit luce. Ut Naturæ igitur consilium prodam, abun-

7

abundè est, si, qui ad ipsum propius accedunt, Antonium  
Atavum, Stephanum Proavum, Marcum Patrem, ma-  
gnas scilicet imagines proferam. Horum nomina non  
privatae tantum domus, sed publicis Venetæ Republicæ  
fastis inscripta, Venetiarum ævo, quod æternum sperare  
Hadriaci Maris Reginæ fas est, vivent; & celebri quidē  
famæ præconio. Nam si eos præ ceteris laude, plausuq;  
per ætates traducimus, qui vel pro Patria, vel pro Reli-  
gione se ipsos devovent. Quis ex hominum memoria  
interituros credat Antonium, ac Stephanum Otthobo-  
nos, quos pro Patria simul, ac Religione non modò ca-  
put devovisse, sed strenue in Turcam dimicantes, fuso  
sanguine utramque ornasse, earumque gloriam genero-  
fo viæ dispendio mercatos novimus?

Quid Marcus Pater Vir clarissimus? Majores æmula-  
tus, quod illi nomen mucrone, ac sanguine, ipse stylo  
atque armamento, nec minore togatæ virtutis gloria, Ve-  
nectorum Herorum albo inscripsit, ac bicipiti gentilitij  
stemmatice Aquilæ, ne illi Maria lauream, ita ipse Pal-  
ladis oleam addidit. Magnus scilicet Cancellarius non  
Senatus modò, sed Famæ suffragio renuntiatus, summum  
hunc Magistratum, in quo, velut in cardine, publica  
authoritas, arcana Republicæ consilia, statusque omnis  
ratio, ac felicitas vertitur, ad extremam usque ætatem  
tenuit; ambiguo semper censu, maius ne ab illo decue-  
acceperit, an dederit; altius ne illum Patria eō honoris  
gradu evexerit, an Patriam ipse prudentia, consilio, la-  
boribus suis extulerit. Quo factum, ut expectante ipsa  
extremum hunc è tanto viro virtutis calculum, familiam  
omnem patritia purpura exornarit; quo quid ad avitam  
generis nobilitatem vel ostendendam, vel augendam  
splendidius? Macie vir clarissime tam amplio hoc hono-  
ris patrimonio, quod ad Posteros transmisisti. Hi sanè  
hac

hac una senatoria in toga omnia Principis Reipublice munera à Te sibi legata intelligunt; nec Ego majus aliquid conferre Gentium te potuisse dixerim, nisi Alexandrum dedisses.

Hoc illum è stipite, tantoque è Parente, velut generosum è gentilitia. Aquila pullum, deducere, Naturæ consilium fuit. Quem enim optimum virtute, maximum fortuna voluit, eo crètum sanguine oportuit, qui Religio-nis, Sapientiæ, Fortitudinis semina e Parentibus in Ne-potem derivaret. Hinc excelsa mentis indoles, & capax rerum omnium ingenium. Hinc fortis sibique sem-per constans animus, atque æqua morum temperies. Hinc ignei ad virtutem impetus, ac ingens sapientiæ, & glo-riæ ardor, quæ statim in puerò, tanquam excitati à na-tura igniculi emicuere, quæque Petri nomine (quod re-nato impositum est) Numinis providentiam obsignasse, dixerim; ut tacita quodammodo innueret, vel inde sibi infantulum adoptasse, quem ad Petri Cathedram nutu, ductuque suo aliquādī evēbōt. quando id ipsi in more possum novimus, ut quos supra vulgarē hominum censū efferre statuit, illos à pueris indicio aliquo velue futuræ magnitudinj vaticinio prodat.

Magnā hanc indolē statim sibi Virtus arripuit, ut quod illa inchoaverat, ipsa perficeret. Humanioribus ergo lice-ris in Patria, aplo scilicet illo civilis eloquentiæ theatro, instrūtū, Patavina Academia, Iuris utriusq; prudentia in-formādū excepit, novūq; sibi eo in adolescentē lumen oriri illicō novit; adeò ut quæ magnis sapientiæ proceribus assueta, mirari jam ingenia desierat, haberet in eo sapi-e-tiæ candidato quod spiceret. Habet etiam vel nunc, quo tanto se jactet alumno, primo enim velue accepto ab ipsa ad virtutem, & gloriam impetu, rerum humana-rum metam, atque fastigium sapientia provectus attigit.

Si

Si enim uno Livio sese olim supra Romam Patavium exultit, quod nascentem fuderit, quanto potius sese Patavina efferat Academia uno Alexandro, quod ad Sapientiam erudierit. Nam quod Magnus Orbi Livius, non id Patria contulit, quod Maximus Alexander, tam aucto<sup>r</sup>e dignitatis exordium Patavina sibi vendicat Academia. Emenso igitur eo Italiaz in Athenæo publicas omnium acclamatione Jurisprudentiaz stadio, publicis etiam omnium suffragiis laurea intra vicesimum etatis annum donatus adolescens prodiit.

Prodiit, inquam; hoc enim illi non tam sapientiaz insigne, quam calcar fuit. Ut enim generosa equi indoles, dum cæteros cursu prævertit, dum palmam præripuit, jam more, suique impatiens, hinnitu, ac solum crispanæ ungula, latiore campum depositit, quem ardentius decurrat; Ita, & ipse prærepta laurea gestiens, eaque novis ad sapientiam stimulis actus, sibi par, suæque mensis amplitudini commensum Theatrum meditari. Jam Venetua forum licer amplissimum, sibi non satis amplum. Jam Venetiæ ipsæ, licet ingentem virtutum agoni, atque spectaculo campum aperiant, se minores videri. Quod igitur se nisi Romam conferret? Hac in Religionis, & sapientiaz arce totum sibi Terrarum Orbem pandi magna ingenia norunt; Hanc igitur sibi deberi eensuit, qui se non uni tantum urbi, non uni tantum Reipublicaz, sed Orbi natum augurabatur.

O' Te adolescentem optimum, quem nec Patriæ amor, nec Venetæ deliciæ, nec amicorum illecebræ, nec obvia in libera Civitate licentiæ lenocinia detinueres; quin Te sacra sub Toga totum Romæ, totum Religioni, totum Ecclesiæ addiceres? At quantus tibi Romano in pulvere ardor, quam improbus labor, quot, vigilatæ ad Cleantis lucernam noctes, ut Te Romæ parem effingeres? vel ar-

B

canis

canis Theologiæ mysterijs , quibus altè imbui futurum Antistitem decuit, vel Romanæ Curiæ more, usi que, quem à Joanne Baptista Cocino, viro æternis ingenij monumētis spectatissimo haurire contigit . Excepisse Te Cocinum, eo crediderim animo, quo Platonem Socrates, qui adolescentem optimum bonis artibus instituendum , Cycni in speciem sibi in sinum advolasse per quietem vidit . Hanc ille in te indolem facile animadvertisit . Nec sefellit spes, alterum alteri ad gloriam contigisse : optimum scilicet Institutori alumnū ; optimum alumnū Institutorem . Et sane tanti Viri in sinu Majoribus pennis instructum , moxq; evolantem romana primum, subsellia , postmodum liberiori sub cælo romanæ ditios Urbes, atque Provinciæ suspexere.

Vos ego Interamnenses, Reatini, Tiphernates appello , quibus Petrus Urbani Octavi Imperio , Prætor obiit; quantum in adolescente, primoque illo publicæ administrationis rudimento virtutis ac sapientiæ specimen suspexitis ? An non hic vigilem, expperrectumque in rebus agendis animum, ille in laboribus strenuum, æquum, rectumque in sententijs aliuss; aliis in exigendis reorū supplicijs nullo flexum ambitu, omnes senili supra ætatem prudentia, regendiq; artibus apprimè instructum deprendicarunt ?

At quid Vos ego testes advoco, cum unum supra omnes locupletissimum habeam: Urbanum Pontificem. Dissidebant inter se de finibus Spoletoni, finiti inique populi, & ut est vulgi animus, cum pro re, causaque publica, exarsit, juris, rationisque impatiens, jam manu litem dirimere , atque armis sibi fines statuere presto erant . Ut conceptum hunc ignem, qui in vasta plerumque erumpit incendia, consopiret Urbanus, Petrum destinat . Quanta illi prudentiæ laude perspectum hominem credimus , quem

quem tam difficultem subire aleam jussit ? quamam de ipsius consilio cæpisse spem, qui unum caput gemino , & in iras jam profilienti Populo opponeret ! Et vero nec Pontifici, nec sibi Petrus defuit . Ubi coorta est sedition , ait Maro , si forte virum quem conspexere silent , arrestisque auribus adstant.Ubi ille interfuit positæ ejus in sinu iræ, positus rationi obstrepens fragor , compositi ejus consilio, atque eloquentia animi jus pati didicere, terminum agris & controversiæ accipere , ac se intra fixos Petri sententia limites circumscribere . O dignum planè ampliori famæ commendatione facinus ! Crediderim facile compositos populorum animos, recepta hilariitate,cum Ethnicis lusisse, atque ut Perrum efferrent , quod est in veteri fabula usurpasse ; Terminum scilicet Deum, qui in Capitolio Jovi regi concedere noluit, nec sua se statione dimovere, Otthobono concessisse, & quem ille edicto statuerat, locum, agrumque usurpasse, perinde quasi antiquo, Jove majorem nosceret . Profectò, ad magna, atque ardua factum tam difficilis provincia docuit, nata commotus populorum animos, vel amorum minis, vel summi Imperii majestate sedasse pluribus obtigit; ratione autem consilio, atque eloquentia, non nisi per paucis; atque illud quidem, vel catafracti militis, vel Augusti Principis, hoc autem est viri, atque oppido magni.

Quid igitur ? Romæ convicium Fortuna timuit, si tam felici prudentiæ documento notum, ac publicis populorum laudibus auctum ipsa vel negligeret vel seriùs per honorum gradus deduceret ; sed quando jam certare cum Petri virtute cæperat, ne succumberet videretur, Veneti Senatus postulatio, atque Urbani Principis auctoritas, & vero etiam Justitia fecit . Illo nimirum suffragante : Hoc adlegente, aptissimum, sapientissimo viro dignitatis locum detulit : Romanæ Rotæ subsellium . Hanc

ego si romanum Areopagum dixerim, Athenas potius, quam Romam laudavero; tanto enim Judicum sapientia gravitate, atque integerima Religione veteri Areopago prestat, quanto profanæ Basilicæ fanum, atque delubrum, & Athenis Romam prestare credimus.

Jam hic Jure aliquis ambigat, an Petro Orthobono pulchrius ad gloriâ fuerit eum honoris locum obtainere, an ab tanto Senatu, tantoq; Pontifice eligi. Sed hoc plenè potius, quando supra omnem dignitatis fastigium est, publico eorum judicio probari, quorum parem maiestati prudentiam Orbis suspicit; sed rependit ipse debitam utrisq; honoris vicem: brevi enim illos optimum elegisse omnibus patuit; quæ maxima Principia commenda-  
tio est.

Et sanè intuenti mihi eo in subsellio Petrum, expre-  
sum apud AEgyptios Judicum exemplar obiicitur. Hi  
enim, ut optimum effingerent, senem composito vultu  
dabant, qui primam, extremamque Alphabeti literam  
fronti inscriptam preferret, geminas velut ex ore pro-  
deuntes effaseret, ceteris vero omnibus illi in orbem ad-  
pictis stipatis, literis quodammodo concludi videretur.  
Et senio quidem, Judicis prudentiam, rerumque usum:  
composito vultu stabilem sedatis animi perturbationi-  
bus moderationem, æquitatemq; designabant; literata  
vero fronte hominem literis mancipatum: literato ore  
spirans sapientiae oraculum: literis demum omnibus un-  
dique circufusis omnigena literatura, atque encyclope-  
diam ostendebant: Vel forte eo literarum orbe conclu-  
sum judicem volvere, ut quodam sapientiae circulo con-  
strictum id monere viderentur, quod olim Romanus il-  
le Attalum: Hic stans delibera; ut scilicet intrâ sapien-  
tiam, judicium, ac sententiam ferre Judicem debere  
innuerent.

Hoc

Hoc ego optimi Iudicis exemplar intueor, cum Petru cogito, immo, & cum ipsum, vel post cineres spirantem adhuc viventemq; oculis cerno, ea scilicet in imagine, quae se ipsum prodit, sibi superstes, ac posthumus. Inteligitis profecto AA. me Petrum Orthobonum in ijs, quae edidit Decisionum commentarijs cernere. Ita planè. Certius enim, magisque ad vivum expressam auctoris mensem, animumq; in libris, qui intelligentiae fætus sunt cognoscimus, quam in liberis Parentum vultus, moresque deprehendimus. Filios enim, vel errante, vel aliò evocata plerumque natura Patribus absimiles nouimus. Fieri autem neutquam potest, ut auctorem suum libri non referant, quando in ipsis totus dum parturit, totus dum parit excubat animus.

Ea igitur, si libet, Decisionum commentaria evolute, ut AEgyptium in ijs Judicem noscatis. Nam quantus ubique eminet animi candor, dum veritatem unicè spectat; quā acris solertia dū in Democriti, quod ajut, puto defosā rimatur; quā expedita, vel dexteritas, vel felicitas, dū erat. Jam quā in legibus vel interpretādis prudētia, vel moderandis æquitas, vel firmandis doctrinæ atque eruditionis supellex. Videas in implicatis caularū tricis labyrinthos, e quibus rationis veluti filo, ductuque se explicat; videas gordios plerūque nōdos, quos ingenij acie novus Alexander solvit dum scindit; videas effusum Jurisprudentiæ pelagus, quod secundo cursu procul e syrtibus, scopulisque enavigat. Videas demum Judicem omnigena eruditione imbutum, ac literis undique circumscriptum.

Judicem inquam; ut enim si Cæsaris commentaria evolas, non historicum modo Cæsarem, sed militem. Dicemque mirabere, non stylum duntaxat nosces, sed gladium; non modo qua elegantiæ scripscerit, sed quo ani-

animi robore in campum prodierit, qua hostem audacia fregerit, quo consilio circumvenerit, qua vicerit constanza; non enim aliorum egregiè facta, sed sua; non alienam, sed sui imaginem chartis æternum victuris tradidit. Ita & si Petri Orthoboni Decisiones perlegas, non modò egregium in primis Juris consultum suspicies, sed absolutissimum Iudicem; non tantum ingenij acumen, sed inflexum animi robur mirabere; non modo, ut laborioso in otio profecerit, sed ut in formam prodierit, non ut stylum dumtaxat tractaverit, sed ut Astreæ lances e subsellio suspenderit; ut partium jura integrè libraverit; ut disceptatiū fraudes, ac technas eluserit: ut traditum sibi à Iustitia gladium, non gratiæ, non ambitionis, sed Iustitiæ ipsius arbitrio, prudentiæ consilio, æquitatis temperamento ad forensium causarum decisionem, intrepidè, constanterq; adhibuerit. Ea enim in otio scripsit, quæ pro Tribunali gessit; atque adeo totum commentarijs suis metiri Petrum Orthobonum oppido licet, magnumq; magna hac ab imagine noscere. An magnus tantummodo Macedonius gladio, nec magnus ab Astreæ gladio Venetus Alexander? Credet id, qui rationi impetum; sapientiæ futorem, ingenio manum, arma togæ antecellere existimet. Evidem quod inter sanguineum, turbidumq; Cometen, & candidum Cœli fidus interesse video, hoc inter utrumque Alexandrum discriminis animadverto; Macedonem, hominum excidio natum, Cometen dixerim; Venetum vero sapientiæ luce rotius Christiani orbis præsidio factum, non nisi propitium sidus existimaverim, at cometen fideri, magnitudine præstare vulgus credat, cui corporis occlusus pro mente est.

Sed est quod tante virtuti, ac sapientiæ gratuler; dum enim assidua sui exercitatione usque communem super-

grel-

13

gressus modum, se tam alta in statione locaverant; haud illis mēs defuit, quæ utriusque magnitudinē metiri norit, ac publico novi honoris documēto prodere. Sapiens IN-  
NOCENTII Decimi animus is fuit, ac digna Pontifice  
munificentia, quæ Petru ad Sacré purpuræ decus, evexit.  
Ingēs planè decus, quod privatos Regibus pares præstat,  
sed Petro ad gloriā auctiūs, quod illum festinatis insigni-  
bus, quadragesimo etatis anno vix pridē exacto, exorna-  
rit. Rarum id, atque adeo ad tā ampliæ dignitatis cōmen-  
dationem illustrius. Nam si Principes demas, qmibus  
Fortuna e cunis adulatur: si Pontificum consanguineos,  
quibus in domum irrumpit, vix paucos reperias, quo-  
rum canitiem Senatoria hæc infusa prævertat; non enim  
à virtute dumtaxat, ac sapientia, sed à devexa etiam etat-  
te suffragium expectat. Plausit tum enim vero, ac  
gestijt Roma; Cum enim sēpe nec sine fortunæ con-  
vicio doleat, non nisi longum ad honoris metam circum-  
ac stadium virtuti sterni, quod ubi sub mortis confinium  
jam festa concorsio cœlum caputbro comparet, ut  
Petrum ad tanti Senatus ordinem tempestivè enectum  
vidit, candidatis omnibus festivo plausu animos addi-  
dit, docuitque posse ipsos, si magnis contendant me-  
ritis, etatem suam prævertere, ac per ipsas obluctantis  
temporis moras ad gloriam evadere.

Age vero, quām se, e novo hoc dignitatis gradu Petri  
virtus protulit. Quemadmodum magui ignes altius elati,  
latiū emicant, ita & ipsa ad excelsum illud Christiani  
orbis concilium erecta toto sese orbe explicuit. Ne-  
mo est qui nesciat graviora totius Christiani Impe-  
rij momenta Romam deferri, ac totum terrarum Or-  
bem veluti Romæ sisti; hunc porro à Po ntifice ad varia  
Patrum purpuratorum Collegia cœtusq; devolvi, ut que  
à Principis auctoritate, & nutu Cat holica pender Respu-  
bli-

Blica, eadem è tahti Senatus vigilantia ; atque consilio pendeat. Iam quod mihi è majoribus hisce Cardinalem Collegijs dabis, cui Orthoboni nomen non inscriptum videas ? cui non interfuerit ? e quo, Christianæ Republicæ profuisse non omnibus pateat ?

Quoruīn quid ego impensiūs mirer ? Mirum plane , quod omnium albo adscriptum videam ; Quām enim ingens de tanto viro Pontificum existimatio, quem omnibus parem ostenderent ? perinde quasi in uno homine multiplicem agnoscerent . Non enim hoc ad gratiam datum, ut titulis inani illum pompa augerent , sed ut titulos Orthoboni nomine honestarent , & ne quod esset Collegium, cui hæc veluti cortina deesset. An nō etiam admiratione dignum, quod omnibus per triginta septem ipsos annos adfuit ? Quis Athletā non suspiciat, qui stadijs mutet, cursumq; cursu serat, luctisq; luctas, viribus semper integer, atque à labore fortior ? Evidēt cum illum ex alio in aliud ex his Collegijs migrantē intueor, cum in omnibus, vcl devetū, vcl uigilem, strenuū, impigrū animadverto, sideri parē iterū dixerim, quod perpetuo gaudet motu, seq; indefessa in orbem vertigine rotat, ut modo has , modo illas terrarum plagas lustret, atq; omnibus prospicit. Sed major Petro gloria, quod enim sideribus natura est, hoc homini labor, quem non nisi constans virtus ferat. Et planē tam præsenti, tam integro semper animo tulit, ut labor illi in naturam cessisse videretur .

At quod omnem profecto admirationem exhaustit , excelsa mentis amplitudo fuit , quam ubique Collegiis suis prodidit . Nulla enim negotiorum mole , vel farta, vel pressa, cuncta sub se habuit , quibus major atque altior insurgeret , sibiq; ad alia superesset ; adeò ut congesti reçum , causarumq; fasces non illi onus addere vide-

viderentur; sed, ut fomes ignis, explicandæ virtutis materiaem.

Sidera, si mathematicis credimus, ut plures in Cœlo sedes, atque, ut ipsi loquuntur, domos obtinent; ita multiplices aliâ, atque aliâ in statione vires exerunt. Haud aliter propemodum Petrus, ut varias in iis Cardinalium Collegiis stationes tenuit, ita modò has modò illas mē, eis, animique dotes explicuit. Nam quæ illi firmitas, arque in sententiâ constantia, dum in p̄fside Episcoporum, ac Regularium cætu Illis jurisdictionem, libertatemque, His disciplinam assereret? Quæ Divinorum scientia, dum inter Tridentini Concilii Interpretes magni illius Oraculi sensa evolueret, ac luce afflaret sua? Quod Christianæ Reipubliicæ apud Ethnicos, atquæ Heterodoxos amplificandæ studium, dum in Propagandæ Fidei conventu transmarinas sacrorum hominum expeditiones consilio flecteret? Quæ in dividendis p̄fmiis justitia, atque integritas, dum libellis dandis à Clemente Nono Praefectus Sacerdotia, pro merito, Pontifici erganda proponeret? Quæ populos vel ad pietatem, vel ad politicam felicitatem regendi scientia, dum aliis in Collegiis vel Ecclesiæ ritus, atque officia, vel romanæ Ditionis rem, atque compendia moderaretur? Quàm acris demum, & constans vigiliânia, dum, inter Fidei Quæstores Patres, Catholice Religionis dogmata, vel vi aperte concussa, vel per fraudem, subdolè tentata vindicaret?

Testis est Roma, quo studio, qua solertia, qua constantia serpentem hæresim, ac Religionis fundamenta per cuniculos tacitè suffodientem deprehenderit, extraxerit, atque Innocentio Undecimo Pontifici profligandam exposuerit. Vidimus, non sine Catholice Ecclesia admiratione, detractam nefario dogmati

C

spe-

speciosam Quietis larvam, qua summam pietatem mentis  
tiebatur, dum omnē everteret. Vidimus Hominis mon-  
strum, erroris antesignanum, atque magistrum, velut  
eductum sua e specu anguem, publico converberatum,  
vel linguæ, vel oculorum convicio; mox frœco  
coercitum, & cavea. Vidimus extintas faces, qui-  
bus, ut ad scelera fortius incéderet, Aras, Cœlitum ico-  
nes, Christi servatoris crucem, ac sacras Pœnitentias  
exedras, perinde ac somitem, iis addere moliebatur. Vi-  
dimus Catholicorum animos vel impii oris affatu, vel  
pestis hujus contagione per literas etiam, librosque la-  
tè pervagata, liberatos. Hæc omnia si tibi Roma, si tibi  
bi Ecclesia gratularis, Innocentio cum primis dea-  
bes, qui e Vaticani culmine in pestiferum caput, impio-  
que asseclas fulmen contorsit, compressaque, auctoritate  
nutuque suo, lue, Religionem incolumem servavit. Ac  
Cardinali etiam Ottobono plurimum est quod debeas  
cujus potissimum consilio, atque opera Pontifex usus in  
Ecclesiæ perduelles exarbit. Non hic ego cæteros fra-  
nuam in ea labe averruncanda operam navasse, in-  
comerto est. At nemo in illam acrius insurge-  
re, nemo fortius insectari, quam Petrus instities ad eò ut  
impavidus Fidei assertor nunquam animum, viresque  
remiserit, nonquam pedem retulerit, quin tantam Chri-  
stianæ Religionis perniciem Pontificia auctoritate pro-  
fligatam viderit.

Jam intelligo, AA. cur tamdiu à Summi Pontificatus  
insula Petrum Divini Numinis Providentia distulerit.  
Opperiri nimirum visa est extremum hoc facinus, ma-  
gnum hoc, ab ipso collatum, Catholicæ Republicæ be-  
neficium; ut Religione ipsa veluti duece, sanctoque vir-  
tutum comitatu deductus in ægustum Ecclesiæ Cap-  
to-

tolium ascendetet : Attigisti Augustissime Senex sum-  
mum illud dignitatis & gloriae fastigium , nec cunctis  
modo sacri Senatus suffragijs , sed Regum , ac populo-  
rum votis , Aulae plausu, Romae gestientis gratulatione  
atq; latitia vel exteris patuit , dignum Petri cathedra  
magistrum,dignum Religione Antistitem,dignum Chri-  
sti Imperio moderatorem Christiano orbi Providentiam  
indulsiisse .

Et sane, si ad sacri, maximique Principatus fasces Is-  
est omnium sententiā deligidus, quem domus clara ,  
quem excelsior indoles , quem consummata virtus , ac  
sapientia, quem longo perspecte usu regnandi artes, &  
comparata per omnes dignitatum gradus majestas ,  
quem cana demum prudentia, vividus in senectute ani-  
mus parem imperio fecerint ; quis hæc omnia in uno  
Petro Ottobono non suspexerit . Harum profecto par-  
tium merito , non optimos tantum Ecclesie Senato-  
res, sed tergeminum Pontificem: Nonum scilicet, De-  
cimumque Clementem, atque Lanocentim. Undeci-  
num illi e sepulchris suis tacite suffragatos dixerim .  
Cum enim Petri in primis cōsilio, dexteritate, industria  
multa vel in magnis graviter , vel in adversis fortiter ,  
vel in arduis constanter, vel in implexis solerter, vel in  
omnibus sapienter, sanctèque se gessisse summi illi Hie-  
rarchæ p̄r se tulerint ; suo & ipsi suffragio dignum  
procurariunt, qui auctoritate, mutuque suo regnaret ,  
quo ipsi administrō felicissimè regnaverant.

Vitus imperio dignus , antequam imperaret, dignior  
plane patuit, dum imperavit . Nam quas Principi poli-  
tica ratio, quas Pontifici Religio partes imponit, quæ  
inspectante totius orbis theatro ab Alexandro non  
abundè expletæ videantur ? Non hic illas ego, quæ sce-  
na p̄fserit serviunt , ac privatæ in Principe censi

possunt studiosius execquat. Quamquam hæ oppido magna: Quantum enim est, ut eosdem platiè mores summo in Imperio Princeps servet, quos ad imperium deculit! Arduum est, Fortunæ oblistere, quæ dum Principem supra homines evehit, extrahere ab hominibus fastu ebrium conatur. At non obstat modò Alexander, sed vicit, eamq; infra se habuit, dum se intra se ipsum continuit. Nihil enim illa egit; nisi, ut quæ Perro virtutes inerant, altius elatæ, latius, & verò etiam splendidius in Alexandro eminerent. An non eadem in Alexander, quæ in Petro humanitas? an non idem animi candor, atque integritas? An non quæ in privato, eadem in Principe facilitas, idem in Majestate vultus, idem, blando temperatum lepore alloquium, quo omnes ad se alliceret? adeò ut cum Pontificem aspiceres, parentem cogitates, cum Alexandrum videres, Petrum agnosceres. Quo factum, ut cum reverentia publicus certaret, amor; quando ita se quisq; ad sacros summi Hierarchæ pedes abiiceret, ut ~~incipi~~ se pectore, & complecti parentis animo existimaret.

At sint hæ, ut diximus, privatæ in Principe laudes. Quid publicæ? an non omnes meruit? Profecto quæ prima illum dies Principem vidit, prima sensit, Nihil enim illi altius animo infederat, quam magni olim Principis existimatio: Principatum scilicet non titulum esse, sed munus, summumq; moderatorem non pompa, sed actu censeri. Totum ergo se publicæ felicitati, affiduis curis, admirandisq; in decrepito, augustinissimoque sene laboribus impendit. Quandoquidem verò salus publica pluribus spectanda oculis, pluribus tuenda est manibus, lectos è toto Purpuratorum Patrum sonatu duodecim clarissimos Viros sibi statim admovit, quorū sententiâ non romane dumtaxat rei, sed totius Ecclesiæ

siz, vel detrimenta averteret, vel curaret compendia. Quod quantæ in summo viro non moderationis modò, sed verò etiam sapientiæ fuit, ut qui omnes doceret, ab aliis sibi discendum crederet? summo edoctus Numine, cui licet totus pateat Orbis, administratos tamen, ac vigiles habet Angelos, qui terra & lustra, & oculorum mozo summa Menti, quæ videtur, referant, ac censenda proponant. Quod si sepositæ Regum curæ non nisi publicis beneficijs patent; quo omnium plausu patuit, quod sibi omnes à novo Principe augurantur? Ut nimis annonam laxet, laxavit; ut publicis vestigalibus modum adhibeat, adhibuit; ea enim, quæ potuit, quæ censuit, vel sustulit; vel diminuit; ut publicæ iustitiæ administrationem spectet, spectavit. Detruncta siquidem, ac decisa jampridiem Judicibus ob ærarij angustias stipendia, ex integro restituit, ne dignitatis servandæ obtentu, vel juridica sibi à Jure latrocinia crederent, vel Principis avaritiæ imputarent.

Nec sit tantum à Principe, sed orbis universi à Pontifice commoda gratulata sibi est Roma. Quo enim caritatis sinu Christianos ubique Populos complexus est? vel cum omnibus cæli foræ, indicta criminum via poenarumque indulgentia apernit? vel cum Indigenum numero adlectis, nova apotheosi, quinque sanctissimis viris, novos Ecclesiæ laboranti patronos profundit? Qua singulos Christianorum greges cura, dum Patres Pastoresque quos optimos novit, ac tutum detulit? Qua Religiosos ordines benevolentia, dum Parentis animo, quem magnis Principibus offendit reperit, summa vel prudentiæ, vel auctoritatis laude in gratiam revocavit? Quo Principes ipsos, Regesque studio, dum eos sibi devincere canni ope, atq; indulgentia certavit, ut Religioni sceptrum impenderent, armorum fulmina-

in

in barbaros, foederatis' animis; viribusq; torquerent.  
 Utinam bellorum fragor per leadam, Germaniam,  
 Belgium non usque adeo animos, auresque occupasset, ut  
 exaudiri, vel à Prudentia consilium, vel à Religione pre-  
 cess, vel ab auctoritate Imperium posset. Jam excussa è  
 Christianorum Principata manibus arma extinctas fu-  
 stiarum faces, seruatas excidio urbes, funeribus populos,  
 incédijs agros sibi Christianus orbis gratularetur. Nihil  
 enim consilio, precibus, monitis omisit, quo Principes  
 ad pacem fleceret; quò illos in communem hostem fo-  
 deraret. At, quod tantum potuit, preces suas, cum terra  
 respueret, celo admovit. Interim vero Tricomes, aurum  
 militem in Turcam submisit, atque ope sua submores  
 Epidauro, Elyma, Aulone Barbaros gestiit. E quod facile  
 quisque intelligat, quid Rōma, quid Ecclesia, quid Orbi  
 uniuerso præstisisset; nisi quam matura viro, tam inten-  
 pestiva Pontifici mors egregia longioris etatis facinor-  
 ta occupasset.

Est fortasse qui de his ambigens. Et qui me tanti Vi-  
 ti imaginem, pictorum more, mendacio comptam, atque  
 clementito eloquentie fuso non ad exemplar, sed ad in-  
 genium dedisse putet? Ad decretorium igitur illum  
 diem prouoco, qui de omnibus iudicat, ad ultimum ib-  
 lum actum, à quid tota vitæ fabula censetur, ad mortem  
 inquam, incorruptum animi testem, ac virtutis Judicem.

Quis est, qui nesciat, quam formidata plerunque  
 Principibus mors instat, dum certo iam pede prætorium  
 pulsat. Incipiunt scilicet qui se Deos crediderant, ho-  
 mines nosse: sentiunt se è summo illo rerum culmine de-  
 curbari, e quo omnia sub se despicerant, & non modo;  
 quam calauerant, turbæ æquari, sed vero etiam  
 substerni. Videas igitur illos, dum mors ingens sibi for-  
 tunæ spolium auferit, animo antequam regno spoliari;  
 dum

dum intra sparum vocat, non modo Principis, sed viri personam in ipsa scena deponere, & antequam ad mortis ictum concidant, iam cecidisse. Hos placet e scena, ac theatro Principes fuisse, dum viverent, mors indicat, vel sarem non ut Principes, sed ut è vulgo homines mortis animi dejectio testatur.

At quam dispar de Principe nostro iudicium mors eruit, dum illum sibi intrepidè occurrentem vidi, ac penè dixerim expauit? Pulsabat jam Alexandri non forces modò, sed cervical, atque erecta veluti falce instabat, cum memor à se aliquid adhuc sibi Christianæ Republicæ, ac Petri Cathedræ debeti, velut ad vitam regnumque, non ad tumulum evocaretur, membra cum ruinâ animo excitata: fractum corpus non fulcit modò, sed erigit: lecto insidet, Pontificis insigne induit, cervical in tribunal vertit, collectoq; ultimo penè hanc litu, in illam, dignam viro, dignam Principe, dignam Pontifice vocens erumpit: Si deficiunt vires, non deficit animus. Quādam supra vires & à vires supra natūram erectas, à virtutem morti insultantem! Ergo antea Christi Servatoris effigiem plura elocutus, quæ aureum, sanctumq; Chrysostomi os decuissent, calatum arripit, & quæ è Christiana Republica, ex Apostolicæ Sedis dignitate, e Pontificis auctoritate esse arbitratur, diù iustis de causis pressa, nomine sublignat suo. Mox tanto defunctus munere, veluti summus Sacerdos Religioni litasset, se ex Ecclesiæ sacrario, ac totius orbis templo subduxit. O immortalitate consignandam ALEXANDRI OCTAVI Pontificis mortem!

Huc adeste, quibus non dum quantus fuerit Alexander innotuit. Exorrextam illam manum stylo armatam suspicite, non ad mortis rictum, ictumque, non ad Principum potentiam, non ad suorum pericula trepidan-

dantem. An non thore eo ipso calamo , de tōto PETRō OTTHOBONQ, rōtōque ALEXANDRO sentētiā scripsit? an non liquidō docuit, quantus vixerit , qui tantus moritur? An non ostendit quam solida Virgum virtus vi- ventem firmarit, quā morientem sustinuit? Quām benē Principem egerit, qui stans moritur? Quām benē Pon- tificem, qui vel diuī victima cadit , sacra erekta sacerdos peragit? An non de natura, quōd bonum, de virtute, quōd optimum , de fortuna, quōd maximum Orbi Ale- xandrum dederint, suffragium mors tulit? Macte extre- mo hoc vitæ actu, Sanctissime Pontifex. Credet Posteri- tas, Te, veluti reducto cæli spirio JESUM stantem ani- mo prospexit, & quo tantum in morte robur hauseris. Decuit planè post immortale hoc facinus æternitati transcribi, ne quid jam mortale faceres; ut quæri quod- ammodo posset; num, in eo vitæ mortisq; cōfinio, celo po- tius delapsus , quām in terris adhuc existens, novissi- mum hoc opus exegeris. Ergo si magnorum Duouum gladios, confectis p̄pliis, à sacro tholo suspendere mos est. Hunc ego Alexandri calamum virtutis , ac sapien- tiæ trophæum Petri Catheræ appendo , & quando eode Ipse suum æternitati nomen inscripsit , satis ad eius gloriam me dixisse arbitror , dum hoc unum dixi.

## L A U S D E O.